

quis forte in extrema egestate et desolatione obserret in hoc mundo, habeat tamen propinquos tales a quibus juvari queat, requiret eum Deus inter notos et cognatos. Ita requisivit Abelem de manu Cain, Genes. IV. *Ubi est Abel frater tuus?* Hac de causa, ait apost. I. Timoth. V. *Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior,* quasi dicat: Parum Christianus est, siquidem gentiles id obseruant, quod ipse negligit. Imo talis deterior est epulone illo, qui sepultus est in infernum; rogavit enim is Abraham ut mitteret in domum patris sui ad monendos fratres suos ne in eundem tormentorum locum venirent, Luc. XVI. Et quidem dum ascenditur ad virilem scilicet aetatem et statum prosperitatis, facile inveniuntur amici et cognati comites: sicuti haud dubie ascendentem in Jerusalem Christum comitati sunt amici, ejus colloquio, modestia, prudentia, et lepore delectati; sed cum descenditur ad senectutem et mortem, vel ad statum adversitatis, tum deseritur amicus. Nulli fere sunt qui consolentur senes, qui invisant aegrotos et adsint morituris. Sed audiunt Isaiam, c. LVIII. dicentem: *Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam* (Septuaginta legunt, propinquos seminis tui) *ne despaceris.*

V. Discunt clerici, versari in iis, quae patris sui sunt, et templo adhaerere. Sed hoc de scient clerici seipso admonere.

VI. Discunt omnes primo, non facile impediri a templi aditu, ob curam rei familiaris, etc. Nam in primis parentes Christi timere poterant Archaicum adhuc Jerosolymis regnante, quem prius in redditu ex Aegypto timebant et vitabant. Deinde, timere poterant domui sue, quam omni custode destitutam deserebant. Sed neutro s' impediri patiebantur a tam longo itinere et diuina absentia. Nimurum quod promisit Deus, Exod. XXXIV. ascendentibus Jerusalem, incolitatem scilicet domorum et civitatum suarum. Id et nos sperare debemus. Quinetiam monemur, ut ne metuamus anno jubilaei peregrinari Romam. Si enim parentes Christi pergebant a Nazareth in Jerusalem, Levit. XXX. et quidem ter in anno juxta legem, neminem terrere iter Romanum debet: maxime cum eadem pene nos invitent causae ad jubileum requirendum, quae Judaeos Jerosolymam vocabant. Vocabantur illi, ut summum suum pontificem velut Judaicæ nationis apud recognoscerent et nossent, eique in fidei questionibus obdiren. Vocabantur, ut una cum suis liberis, alioqui locorum intervallo disjunctissimis, in unitatem religionis, legum et ceremoniarum convenient, nec a se mutuo in

his recederent. Vocabantur, ut inspectione sacrificiorum, expiationum et cultus divini firmarentur in fide et notitia venturi Messiae, ad quem omnia illa referebantur. Vocabantur, ut efficacior esset tanti populi unanimis oratio cum tanta itineris molestia, etc. Simili modo institutum est jubileum singulis viginti quinque annis, ut aliquando Christiani ex toto orbe recognoscerent summum suum pastorem, ut fidem ac religionem suam cum fide ac religione matris omnium Ecclesiarum conferrent, ut hinc in fide sua confirmarentur, videntes eam per universum orbem esse unius tenoris, eorumdem dogmatum, etc. et falsa esse quæ sparguntur ab hereticis: denique, ut oratio Ecclesiae totius, quasi in unum collectæ, præsertim cum tot impensis, periculis itineris, molestiis, etc. esset efficacior apud Deum; ibi enim quodammodo totus mundus una voce Deum orat, licet linguis diversissimis.

Secundo, audire in templo et discere; siquidem Christus inventus est audiens doctores et interrogans. Poterat eos docere Christus; sed maluit audire et interrogare, qui hoc puerili ætati magis conveniebat. Quare mechanici suas artes, mercatores suas ulnas, tracent fabrilia fabri, et docere aut interpretari sacras litteras vel conciones dijudicare ne presumant. Deinde, qui in templis sunt, ne sibilicium putent sub concione loqui, orare, legere, dormire, alia cogitare; sed attendendum sibi sciunt. Nec quomodo cumque audiendum Dei verbum, sed quomodo Deipara dicitur conservasse omnia verba Christi in corde suo. Conservavit autem non pro se tantum, sed et pro nobis: siquidem ea narravit apostolis et evangelistis. Idem faciant parentes, etc.

Tertio, non discedere e templo ante finem rei divinae nec domum festinare. Sic enim Christi parentes non discesserunt Jerosolymis, nisi consummatis septem diebus, quibus festum paschalis celebrabatur, teste Luca: quod amplius est, Christus ibi remansit ultra festum illud. Viderint ergo qui ad horas duas vir manere in templo possunt, quibus omnis concio et missa longa nimis est: itane longum nimis est festivo die duas horas impendere Deo? Quid enim reliquo tempore agimus ad Dei cultum pertinens? Et quoties adhuc abbreviari nobis res divina debet? Certe olim, ut refert Baronius, anno Dom. 418. omnes missæ cantabantur, nulla legebatur: postea fere ob gulam et avaritiam maxime potentum introductum est, ut eadem voce submissa legerentur. Rursum abbreviatae sunt, cum concessum ut in introitu missæ non integer psalmus ex more pristino, sed unus tantum ipsius versus dicatur. Non urgeamus ultra ecclesiam, et sacer-

dotes, ut rursum aliquid demandant, quia non expedit nobis. Queritur certe de talibus S. Augustinus, serm. CCLI. de temp. qui propter gulam et avaritiam suam cogunt presbyterum abbreviare missam contra Ecclesiae consuetudinem.

Quarto, observare consuetudines pias et laudabiles; siquidem legimus in hodierno evangelio, ascensisse Christi parentes ad templum secundum consuetudinem festi. Mali et servilis animi signum est, non velle facere aliud, nisi quod mandatum est. Itaque retineamus pias consuetudines, v. g. audiendi in diebus festis, non privatam tantum missam, sed officium decantatum tina cum concione. In magnis solemnitatibus non omittamus confiteri et communicare: cum solet fieri ad altare oblatio fidelium, fiat.

Rursum nee feminæ, nec pueri obligantur ascendere Jerosolymam: ascendit tamen B. Virgo cum pueru Jesu. Quare decet etiam nos facere plura, quam jubemur. Displacet nobis servus, qui non vult amplius aliquid facere, quam servitum ejus postulet; veluti stultus ille, qui prius quam domini jussa perficeret, inspicere solebat tabellas suas, num id genus officii sibi præceptum foret. Et vœ nobis, si ejusmodi rigore agat nobiscum Deus, quo nos agimus cum illo!

Quinto, denique gratiam Dei prius quam gratiam hominum querere: siquidem legimus Christum profecisse gratia apud Deum primo, deinde apud homines. Errant toto celo, qui per gratiam hominum venari gratiam Dei volunt. Contraria via eundum est. Facile amabitur ab hominibus, quem amaverit Deus, licet non ameritur ab omnibus. Neque enim Christus dicitur placuisse omnibus; sufficit placere optimis. E contra autem sepe fit, ut, qui hominum tantum gratiam querunt, et Dei et hominum gratiam perdant. Sic accidit Pilato, qui ne Cæsaris amicitiam perderet, Christum crucifixit; et sic et Christi et Cæsaris iram incurrit: ab hoc missus in exilium, ab illo in infernum, a quo custodiat nos benignissimus Deus.

## CONCIO IX.

## MYSTERIA EVANGELICA.

I. Cur ascendit Christus in Jerusalem. — II. Cur remansit ultra tempus. — III. Cur incisi parentibus. — IV. Quomodo excusantur parentes Christi. — V. Cur mater, non Joseph, Christum allocuta. — VI. Quid fecit eo triduo Christus. — VII. Quomodo profecit Christus.

## THEMA.

*Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus.* Luc. II.

Spectavimus his diebus Deum factum homi-

nem jacentem in eunis, adoratum a pastoribus et magis, circumcisum, quæsitum ab Herode, fugientem in Aegyptum, inde redeuntem: sed nondum audivimus loquentem. Nunc tandem advenit tempus, quo eudem audire possumus.

Utrumque maximis votis petit olim sponsa, cum dixit, in Cant. II. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis et facies tua decora.* Ostendit nobis his diebus faciem suam Christus, nunc proponit etiam vocem. Hodie enim primo, locutus est hic sponsus dilectæ sue sponsæ, quando in templo Jerosolymitano auditus est tam docte disputare, ut omnes obsutupescerent: et quando respondit parentibus: *Quid est quod me querebatis. En dilectus meus, inquit sponsa, loquitur mihi.* Et rursum: *Vox turritis auditu est in terra nostra, quoniam videlicet post longam legis hiemem, lætissimum gratiæ ver mundo annuntiavit.* Itaque ad hanc vocem evigilemus, auditores. Et quia neminem esse puto, qui non avidissimas aures præbuisset Christo Domino, si loquentem hodie et disputantem cum doctoribus audire potuisset; pari aviditate spero vos audituros ea, quæ circa primam illam Christi disputationem gesta sunt.

I. Cur ascendere voluit Christus tune in Jerusalem, cum ad id nulla lege obligaretur? Respondeo primo, vocatum eo Christum ab ætate, cum enim circa annum duodecimum incipiat ætas discretionis, voluit eo anno, et quidem tempore paschali Christus accingere se ad cultum Dei publicum et præceptorum observationem ac per hoc exemplum præbere nobis, ut ea etiam ætate incipiamus servire Deo ad conciones et s. synaxin accedere (quia tunc jam possumus nos probare, juxta doctrinam apostoli, I. Cor. XI. et assuescere præceptis, etiam ad quæ nondum obligamur, veluti jejuniis.) Deinde voluit hac ætate specimen edere suæ divinitatis et sapientiae ad confirmanda corda eorum, qui vel jam in ipsum credebant, vel postea creditur erant.

Respondeo secundo, vocatum eo, a festo paschali, quod de ipso et propter ipsum fiebat, quia ipse erat agnus in paschate immolandus. « Erat igitur, ( inquit Eusebius Emissenus, in hom.) cum cæteris Jesus in solemnitate, qui totius erat causa solennitatis, permixtus turbis, ab omnibus videbatur qui in lege et prophetis predicabatur, in sacrificiis signabatur, et a nemine cognoscetur, quia duplice velamine tegebatur: inde velamine litteræ, hinc carnis pariete. Unde scriptum est, Cant. II. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Ipse jugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis et omnibus sacrificiis offerebatur, etc.* » Utinam non idem nunc contingeret, ne, dum vide-

licet Christus immolatur in altari, multi sint, qui de ejus praesentia nihil omnino cogitant: ibi stat post parietem, ibi prospicit per cancellos.

II. Cur remansit ultra tempus festivitatis Christus in Jerusalem? Respondeo primo, ob amorem Patris sui celestis, uti indicat iis verbis: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Allegaverat Deipara dolorem patris ejus Josephi: *Pater tuus et ego, etc.* sed Christus respondet allegando fortius vinculum, quo deviniebatur Patri suo æterno, quem infinites plus amabat: et quia ejus domum invenerat in Jerusalem, posthabuit domum patris terreni et adhæsit domui Patris celestis. Qui alligatus est catena, non potest abstrahi fune. Omnia elementa cum attingunt proprium suum locum, tenaciter ei adhærent, nec facili negotio inde avelluntur. Locus proprius Christi erat sinus Patris celestis, qui in templo veluti sede sua requiescebat. Illi ergo adhæsit, et tam forti nexu, ut nisi accederet præceptum obediendi parentibus, veluti impetus quidam, inde avelli nollet. Ostendit ergo quam libenter, quod in se erat, semper in templo maneret, veluti in domo Patris sui primaria, ejusque obsequio se totum impenderet.

Secundo, ob amorem hominum et zelum salutis humanae, quo nimirum occasionem haberet suis doctissimis interrogationibus et responsis erudiendi homines. Et hoc alterum erat negotium Patris ejus, in quo occupandum se dicebat. Ob eamdem causam, cum occuparetur in eruenda Samaritana, oblitus est famis sue corporalis, quia nimirum cibo reficiebatur spirituali, qui erat salus unius animæ. Unde mirantibus discipulis, quod non esuriret amplius, respondit:

*Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus,* Joan. IV. Ita ergo et nunc ob zelum et sitim animarum in tenebris hæsitantium, remansit in Jerusalem, ubi occasio eos lucrandi erat, et oblitus est paternum dominum, quæ jam illuminata erat. Propterea in simili casu aliquando dixit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus,* Matth. IX. Invenerat hic medicus Jerosolymis nosocomium amplissimum, invenerat campum apertissimum perficiendi opus suum, quod totis visceribus quærebat. Quid mirum igitur, si diutius ibi se detinuit? Ad hæc præceptum Dei erat, ut relinqueret homo patrem et matrem et adhæreret uxori suæ, Gen. II. reliquit ergo Christus patrem et matrem, et adhæsit sponsæ suæ Ecclesiæ.

III. Cur remansit insciis parentibus? Annon præcepit ipse parentes honorandos? Et cur parentibus suis tanti doloris causam præbere vo-

luit? Respondeo primo, duplex genus operi: num fuisse in Christo; commune et proprium. Illud exercebat juxta placitum parentum carnalium, quia concernebat actiones tantum humanas: hoc vero quia cum carne et sanguine non bene cohæret, uti mori, paupertatem colere, aliorum salutis invigilare, in summa paupertate aliis evangelizare, etc. consulto faciebat nescientibus parentibus, ne videlicet eorum animos gravius vulneraret. Hinc non legitur valedixisse matri pergens ad mortem, aut licentiam ab ea petuisse. Tametsi enim mater nequaquam ei contradixisset, non potuisset tamen absque gravissimo dolore talia audire et concedere. Idem, nisi fallor, contigisset, si dimissis parentibus, dixisset Christus se per triduum in urbe remanere, mendicare, et in templo disputare inter doctores debere. Hinc prudenter filii, ne parentum animos exulcerent, clam illis faciunt, quæ adversus carnem et sanguinem Deo jubente faciunt. Ita Samson occurrentem sibi leonem, irruente in se spiritu, dilaceravit insciis parentibus, licet non procul absentibus; quia si eos hac de re interrogasset, vel dissuassissent, vel de ipsis salute valde anxii fuissent, Judic. XIV.

Secundo, ut doceret in iis rebus, quæ ad gloriam Dei et animæ salutem spectant, non semper interrogandos esse parentes. Sic enim dicit Dominus: *Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem, etc.* Et rursum, quando uni dicenti: *Vado prius sepelire patrem meum,* respondit: *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Ita S. Hieron. ep. ad Furiam: «*Non es ejus cui nata es, sed cui renata,*» et ad Heliodorum: «*Licet in lumine pater jaceat, per calcatum perge patrem, sicci oculis ad vexillum crucis evola, etc.*»

IV. Qua ratione Christi parentes excusantur a culpa ob filium perditum, præsertim cum per integrum diem redeuntes caruerint ejus praesentia? Certe haeretici graviter accusant Deiparam, sed more suo iniquissime ex innato in eam odio. Resp. ergo excusari primo, ab evangelista dicente: *Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos.* Poterat enim Christus facile se subducere, ne adverterent parentes; poterat Jerosolyma abire cum cognatis quibuscum versari solebat: quod videre parentes poterant et facile concedere in gratiam amicorum, qui Christi praesentie et colloquio recreabantur: poterat deinde Christus in via recedere ab amicis, quasi redditurus cum parentibus, et sic manere Jerosolymæ, vel alio modo latere, ita ut parentes ejus prudenter existimare possent eum non remansisse. «*Forte ob hanc causam,* (ait S. Bern. serm.

super hodi. evang.) consummatis omnibus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Arbitrans enim unusquisque, quia esset cum altero, utpote qui amabatur ab omnibus et ab omnibus petebatur, non cognoverunt parentes quod abesset, etc. » Sic Bernardus.

Secundo, excusari etiam a Christo, cum dixit: *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, etc.* q. d. non erat necesse ut me quereretis. Ego enim non culpa vestra, sed voluntate mea et consilio ac providentia Patris mei clam vobis hic remansi ad expedienda Patris negotia. Et propterea Christi parentes cum eum venerarentur tamquam Deum, non immerito multa relinquabant ejus arbitrio, securi nihil eum incaute vel imprudenter acturum, vel præter voluntatem passurum. Nihilominus tamen dolentes eum quærebant, tum quia eum summe diligebant, adeoque ejus praesentia non sine dolore carebant, tum quia metuebant ne parentum obsequio destitutus incommoda multa pateretur, tum quia nesciebant quando inveniendus et quid facturus esset, etc. Sciebant quidem quod perficere haberet opus Patris, propter quod in mundum venit, nesciebant tamen quod ejus operis initium lunc facturus esset, anno videbant attingi duodecimo. Hoc igitur est, quod eos Christus docet interrogando: *Nesciebatis, etc.* q. d. sciebatis utique opus Patris mei, propter quod in mundum veni: nunc vero scitote fuisse id modo a me inchoandum. Mirum igitur, qui haeretici nodum in hoc scyrpo querant.

Tertio, excusari ab ipsa matre, quæ si in culpa fuisset, non ausa fuisset, filium sic alloqui: *Fili quid fecisti nobis sic?* Sed potius timuisset, ne ab illo reprehenderetur. At qui bene ministraverint, ait apostolus, I. Tim. III. acquirent sibi fiduciam multam in fide, id est, libertatem, scilicet ad loquendum, postulandum.

V. Cur Maria, non Josephus, Christum allocuta est: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Respondeo primo, quia plus juris in eum habebat, quam Josephus. Illa vera ejus mater, hic nutritius tantum fuit. Illa proprie dicere poterat: *Fili, hic vero non nisi improprie.* Et quid mirum, si ovis, invento agno suo, balatum edat, tacentibus aliis, quæ non sunt matres?

Secundo, quia plus filium amabat, et consequenter etiam plus doluerat ob ejus amissionem. Atqui major amoris excessus majorem præbet fiduciam alloquendi dilectum: uti et major excessus doloris magis urget ad loquendum. Hinc Petrus et Joannes, quia magis diligebant Christum, præ cæteris audebant confidentius eum

I.

alloqui. Nihilominus Deipara hanc amoris sui prærogativam texit velo humilitatis, dum sponsum sibi præposuit, dicens: *Pater tuus et ego, etc.*

VI. Quid fecit eo triduo Christus? Silet hac de re Scriptura. Probabile tamen est primo, fuisse ut plurimum in templo, quia ait: *Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Ergo in templo velut paterna domo morabatur. Deinde quia in eo a parentibus inventus est. Cum enim invenitur filius in ludo, taberna, palæstra, etc. signum est eum ibi frequenter esse. Nunc profecto cum parentes perdunt filios, non solent eos querere in templo, sed in tabernis, sphæristriis, etc. quia ibi sunt frequentes. Et ita communiter a morte ibi invenitur homo, ubi consuevit esse. Si communiter es in statu peccati mortalium, in odio, ebrietate, libidine, neglectu præceptorum Ecclesiæ, ibi te inveniet mors et talem judicii præsentabit.

Secundo, crediderim fecisse exercitia spiritualia, ac revolvisse animo futuram passionem suam sive adeundo loca, in quibus passurus erat, ad instar equitis, qui docet equum suum ingredi locum certaminis, ne quid horreat: sive spectando victimas, quomodo jugularentur et immolarentur, sive aliis modis. Tentavit ergo noster David, si armatus posset incedere pugnaturus contra Goliath, II. Reg. XXVII. Moveor ad hoc, quia triduo remansit in Jerusalem insciis parentibus, quod triduum fuisse præludium tridui passionis et mortis ejus asserit S. Ambrosius hoc loco, l. II. in cap. II. Luca. Idem et nobis faciendum, mors sæpe præmeditanda, si hostem nostrum vincere et bene mori volumus.

Tertio, probabile est mendicasse, vel saltem ultra oblatis eleemosynis vixisse. Unde enim illi *victus?* Potuit se sustentare mirabiliter, potuit pasci ab angelis, sed necdum voluit miracula facere. Primum illud commemoratur, quod in Cana fecit. Ergo vel a doctoribus invitabatur, uti sentit Joannes Major; (quis enim non invitasset puerum tam admirabilem?) vel ostiatim mendicabat, uti meditatur S. Bern. in serm. super hodierno evangelio qui recte adducit testimonium S. Pauli, II. Cor. VIII. dicentis: *Froter vos egenus factus est (in Græco habetur, mendicavit) cum esset dives.* Accedit Psal. XXXIX. de Christo scriptus, in quo ipse ait: *Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est mei.* Voluit igitur Christus per omnia conformare se nostris miseriis, et punire cupiditates nostras. Nos vettita et aliena rapimus, ille quod suum erat men dicavit.

VII. Quomodo profecerauit Jesus sapientia et

18

gratia? Resp. non profecisse quoad habitus, sed quoad effectus et manifestationem gratiae et sapientiae suae. Itaque non siebat paulatim sapientior, et Deo gravior, sed apparebat in eo in dies major gratia et sapientia, et quidem coram Deo et hominibus, hoc est, vere quoad effectus, dum nimis edebat opera magis et magis eximia, majorem sapientiam et gratiam redolentia. In hunc modum sol, licet initio diei non habeat tantam claritatem, quantam habet in meridie, crescere tamen in claritate dicitur et videtur, quia in meridie magis explicat lumen suum: item, cum nube opertus paulatim eam dividens, magis et magis diffundit radios suos. Quare Christus in infancia sua, quasi densa nube tectus fuit, et nullus pene radios sue gratiae ac sapientiae ostendit: sed in pueritia incepit dissipare nonnihil nubem, et sensim effundere radios suos.

Resp. secundo, profecisse etiam sapientia seu scientia experimentalis et acquisita; (etsi non videtur hoc respexisse evangelista) didicit ergo ipsa experientia obedire, paupertatem, esuriem, contemptum pati, etc. ut nobis per omnia similis fieret, et compati posset infirmitatibus nostris. Facile est, scientifice disputare de obedientia, sed non ita obedire. Christus illud semper scivit, hoc in tempore didicit, quomodo etiam ad Hebr. V. dicitur: *Ex iis, quæ passus est, didicisse obedientiam.*

Hunc in modum decet etiam nos una cum aetate in dies proficere, sapientia et gratia, seu virtutibus, earumque radios magis et magis effundere. Et certe si nihil aliud, ipsa aetas et experientia nos facere cautores et sapientiores deberet. Quam multa enim aetate nostra spectavimus vel audivimus, quæ nos in Dei obsequium, mundi contemptum, virtutum amorem et vicio-

rum fugam impellere debent? Quam multis experimentis vidimus Deum in celo esse, vindicem malorum? Heresim esse fugiendam? Vitia cavena? Quam multi didicerunt ipsa experientia, male sibi cedere ebrietates, fraudes, rapinas, libidinem? Bene contra sibi cedere virtutem? Non se depauperari per crebras eleemosynas et templi frequentationem, feriarumque observationem? Quam saepe experti sumus, malum tandem finem sortiri improbos, bonum vero probos? Quam crebro animadvertisimus morti non fidendum, ut quæ ante et retro, juvenes et senes pariter et inexspectato adoratur? Quam crebris Dei flagellis puniantur scelera nostra? Et haec omnia tamen parum adhuc possunt ad nos erudiendos. Merito ergo timemus, ne in nobis aliquando verificetur illud Isaiae, cap. LXV. *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.* Audiamus Philonem Judæum: « Quousque nos senes adhuc pueri erimus? Corporibus quidem propter temporis longævitatem senes, animis autem propter ignorantiam et hebetudinem admodum pueri? » In meliss. I. II. c. XVIII. Audiamus ipsum Christum hac de causa discipulos redarguentem, quod adhuc de panibus solliciti essent, postquam iterato miraculo pasti erant. *Quid cogitatis, inquit, quia panes non habetis? Nondum cognoscitis nec intelligitis? Adhuc cæcum habetis cor vestrum? Oculos habentes non videtis, et aures habentes non auditis? Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia? Et quot cophinos fragmentorum plenos sustulisti? Dicunt ei: Duodecim. Quando et septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulisti? Et dicunt ei: Septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis? Marc. VIII. Nobis haec, auditores, dicta existimemus. et Deo confidamus, etc*

## AUCTARIUM.

## CONCIO I.

## AD PRIMAM CHRISTI CONCIONEM INVITANTUR VARI.

- I. Docet rudes et parvulos, audire catechesin et Dei verbum. — II. Docet eruditos et senes, non responde alios docentes. — III. Docet agricolas, ne metuant rebus domesticis dum adsunt rei divinae. — IV. Docet cives, ubi et in quorum aedibus quærendus sit. — V. Docet filios et filias, plus obligari eos Deo, quam parentibus. — VI. Docet patres et matres bono exemplo liberis suis praेire. — VII. Docet subditos et servos parere suis dominis et studere eorum commodis. — VIII. Docet dominos et magnates subjecere se Ecclesiæ ejusque prælatis.

## THEMA.

*Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?*  
Luc. II.

Sacerdotes neomystæ, quando primum sacrificium Deo offerre cogitant, solent per concionatores id denuntiare et ad suas, ut vocant, primicias populum invitare. Si ad primum sacrificium decet convocare populum, cur non etiam deceat ad primum alicujus concionatoris sermonem? Et ecce vobis hodie novum, quamquam admodum juvenulum, revera tamen sapientissimum et regium concionatorem, Christum Jesum, quem hodie in templo Jerosolymitano primum suum sermonem edidisse audimus in hodierno evangelio. Hic ille prædicator est, qui Psal. II. per os prophetæ vaticinatus est: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Sermo vero illius primus hic est: *Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Brevis quidem et succinctus, sed potens ac salutaris, doctrinarum pondere prægnans. Ad hujus ergo novi et divini concionatoris primam et divinam concionem vos hue invito, auditores. Adeste parvi et rudes, adeste litterati et senes, agricultæ et cives, liberi et parentes, domini et servi; quia omnibus vobis et singulis doctrinam offert.

I. Venite rudes et parvuli, audite concionatorem hunc novum. Quid vero concionabitur vobis? Monet ut verbi Dei audiendi causa templum sedulo frequentatis, imo et quasi ei affixi adhæ-

reatis, si filii Dei esse cupitis. Auditis enim dicentem: *Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Hoc est, templo. Sed cur in templo esse debeat? Ut nimis doctores et audiunt et interrogaret, quod fecisse eum ait Lucas, non quod ipse instructore egeret, qui omnes doctores instruit, sed ut vos, qui indigetis, templo velut scholam verbi Dei frequentetis. Quid cæco magis optabile magisque necessarium, quam lumen oculorum? Et quid voluit sibi cæcus ad Jericho tam constanter vociferans? *Jesu, Fili David miserere mei!* Adductus quidem ad Christum opinionem accepit petendi quod vellet: *Quid tibi vis faciam?* (Mattheus ait fuisse duos.) Et quid tandem petiit? Nihil aliud nisi visum: *Domine ut videam, Lucæ XVIII.* Et juxta Matthæum, cap. XX. *Domine ut aperiantur oculi nostri.* Quid enim est cæcitas nisi quedam mors et mœror continuus? Ad haec *quam deformes sunt oculi cæcorum!* ait S. Ambr. I. de Noe et arca, cap. VII. « Et quid mirum si vultus hominis absque oculis deformis est, quando ipsum cœlum sine sole non habet suum decorum? Tristes sine sole ducimus dies, noctes sine luna non placent: ipsi enim sunt quidam mundi oculi. Detrahe stellarum lumina et quedam est in celo cæcitatibus deformitas. » Neque tamen adhuc æquat haec corporalis deformitas illam, quæ est in animo, ignorantiam rerum coelestium. Qui enim hoc lumine caret, longe miserior et deformior est quam omnes, qui in toto mundo oculis capti sunt. Atqui hoc lumen non prestat nisi verbum Dei, juxta id Ps. CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* At verbum Dei ubi auditur nisi in templo? Unde S. Chrysost. hom. XVI. ad pop. ait: « Ubinam alibi audies, quæ hic meditaris! Si in forum iveris, rixæ ibi et pugnae; si in curiam, civilium rerum curia; si domum, privatarum rerum sollicitudo undique a filigit; si in fori conventicula et consessus, omnia et illius terrena et corruptibilia: vel enim de venalibus, vel de tributis, vel de lauta mensa, vel de agrorum venditione, vel de aliis contractibus, vel de testamentis, vel de hereditatibus, vel de aliis talibus a cunctis eo convenientibus sermones habentur. Et si in ipsas regias, illic rursum omnes disserentes audies de potentia, de gloria, quæ hic honoratur: